



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

SS. Petr. Pavl. Andreas, Dionysea MM. 15. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

mina, quæ sic excarnificatum felicem tamen bea-  
 tumque ausa dicere digna Deo visa est, quæ non  
 agones tantum illius, sed præmia etiam aspiceret.  
 Annum conjugii alterum, vitæ decimum sextum  
 agebat, quo propius miraculo fuit non trepidasse,  
 cum bina palmarum cacumina ad terram ingenti  
 depressa nisu cerneret, quæ à se invicem iterum dis-  
 cessura mediam distraherent. Alligari tamen se  
 sustinuit, & lacerato corpore, integrum animum caelo  
 intulit. VICTOR gladio cæsus eam securus est: sic  
 olim ad astra itum. Nunc coronæ vilius veneunt.  
 Nullæ nos palmæ distrahunt; animum à mûdo avelle,  
 Coronam spondeo, & victoré appellabo. *Ex Sur.*

*Mundo se extraneum homo reddat, ut Deo pro-  
 pteris gratia largitate familiaris adhereat. Mun-  
 do mortuus vivat, à terrenis vexationibus se sub-  
 trahat, ac velut in sepulchro jam positus in solo  
 Creatoris sui desiderio iuvviter requiescat. S. Pet.  
 Dam. op. 12. c. 32.*

SS. PETR. PAVL. ANDREAS, DIONYSI

MM. 15. Maij.

**I** Terum triumphantem adolescentiam damus,  
 ne quis magnam virtutem annis metiatur. Im-  
 perante Decio, Lampfaci, in ipsâ turpitudinis pa-  
 triâ, PETRVS adolescens adorare Venerem iustus;  
 Ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum  
 fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ  
 templis à vobis recepta est, quàm quod omnium  
 mortalium inverecundissimè peccârit? Hujus di-  
 sti libertatem PETRVS in rotâ iustus luere, omni-  
 bus contractis ossibus nec vultum nec animum  
 mutavit; donec gladio ejus patientia finita est.  
 Troadem deinde properanti Proconsuli Nico-  
 machus, audacior quàm fortior, suam in Christum  
 fidem

fidem jactavit, sed sublimis abreptus tormenta non tulit, turpisq; transfugâ, ejurato Christo, vix horulam supervixit, quâ in rabiem actus commensam dentibus linguam cum infelici animâ evomit. Ejus casum miserata DIONYSIA, sedecim annos nata, illicò ad quæstionem, deinde ad lupanar abripitur, sed eam ANDREAS & PAULVS adolescentes Christiani, & utroq; fortior cælestis genius multâ circumfusis luce, à vitutati sunt; illis postredie lapidum jactu obrutis, invidit DIONYSIA tam suavem sub hâc grandine mortem, inque mediam se procellam inferens, suosque amplexa servatores, popularis insanix reliquias exhaustit. Vixit tamen etiam cum detonuisset, & ultimum gladio spiritum impendit. Sed nimirum saxa & sanguinem loquimur: Beatuli nostri ire ad cælum, viâ lacteâ, & calcare rofas volunt. *Ex Surio.*

*Noli vita hujus felicitatem pravus hominibus invidere, sed cõdole. Imò quia ipsi nondolēt, potius ingemisce: qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, & ad gladium lasciviendū festinant. S. Per. Dam. lib. 8. ep. 6.*

## S. D Y M P N A V. M. 15. Maij.

**N**isi frontem unâ cum oculis amisit improbus amor, erubescet ad infamiam facinoris, quod ipso auctore, sub annum sexcentimum gestum est. Regebat eo tempore Hibernos rex barbarus, nullâ re nisi amore odioque filix nobilis. Viduatus conjugè filiam in thorum pellexit, eâ quidem formâ, cui comparari eo ævo nulla poterat, sed iis moribus, ut non modò incestos amores abominaretur, sed præter Deum nubere omnino nemini in animum induceret. Vim tamen verita ab infano amato-